





7  
DISSERTATIO IURIDICA

NONNULLA

DE

DIVERSO PRAESCRPTIONIS

IVRIS CIVILIS EFFECTV

S I S T E N S

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

AVCTORITATE

AD DIEM VII IVN. MDCCLIII.

PRAESIDE

D. FRIDERICO GOTTLIEB

ZOLLER,

PROF. PVBL. IUR. SAXON.

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SUBMITTIT

A V C T O R

IOANNES ERNST GOTTFRID ERLMANN,

MARTISBVRGENSIS.

L I P S I A E,

LITTERIS FRID. GOTTH. IACOBÆERI.



DISSERTATIO IURIDICA  
DE  
DIVERSO PRAESCRPTIONIS  
IURIS CIVILIS EFFECTU  
S I S T E N S  
AUCTORITATE  
AD PRIMUM VICE PRESIDENTIS  
PRAESIDII  
D. FRIDERICI GOTTLIEB  
ZOLLNER  
PUBLICO EXAMINIS  
AUCTOR  
IOHANNES ERNST GOTTFRIED ERDMANN  
L I P S I A E  
DITTAUS FRID. GOTTFRIED ERDMANN

11  
12



PERILLVSTRI  
ATQVE  
GENEROSISSIMO DOMINO  
DOMINO  
CAROLO HENRICO  
DE DIESKAV

DOMINO IN KNAVTHAYN, KLEINZSCHOCHER,  
COSPVDEN, &c.

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI  
REGIS POLONIARVM ET ELECTORIS SAXO-  
NIAE SOLEMNIVM AVLICORVM DIRECTORI ET  
CAMERARIO, CIRCVLI LIPSIENSIS  
PRAEFECTO RELIQV.

MAECENATI OPTIMO  
SACRVM

RERILLVSTRI

ALVA

GENEROSISSIMO DOMINO

DOMINO

CAROLO HENRICO

DE DIESKA

DOMINO IN KNATHAWA, KEMPSCHER

COSSYDUM CO

SEBENISSIMO AC POTENTISSIMO

REGI

MAE SOLIMANVM KALLORVM DIRECTORI ET

CAMERARVM DIRECTORI

RELECTO REGNO

MAECENATI OPTIMO

SACRAM

PERILLVSTRIS ATQVE GENERO-  
SISSIME DOMINE

MAECENAS OPTIME



Iure meritoque sibi gratulantur litterarum elegantiorum cultores, si eorum gratia perfruuntur atque praesidio, qui imaginum splendore et generis nobilitate illustres, sepositis nonnunquam grauioribus, quae ipsis in administrandis rebus publicis incumbunt, negotiis, id etiam vel maxime sibi curae cordique esse volunt, ut artium bonarum incrementum in dies augmentum capiat, atque sub ipsorum tutela et patrocinio promoueatur. Atque sic quidem non est, quod quis dubitet, quod TIBI inprimis, VIR PERILLVSTRIS atque GENEROSISSIME, MAECENAS OPTIME, temerario licet ausu, has qualescunque ingenii primitias conferre, tantumque nomen iisdem praeponere conatus fuerim. Siue enim TVAE erga me gratiae, quam me saepius expertum esse,

iacitare licet, memorem gratumque prae me ferre animum consti-  
tui; siue fauorem atque patrocinium, quod omnibus praestas, qui  
Musarum sacris initiati sunt, spectavi: utriusque sane rei spe-  
ctato effectu excusata esse audaciam arbitror. Placido itaque  
vultu tenues conatus accipias, PERILLVSTRIS DOMINE,  
OPTIME MAECENAS, atque TVA in posterum etiam, quo-  
niam in eo maximam felicitatis meae partem colloco, gratia  
atque patrocinio dignum me reddas. Deus TE diutissime praestet  
felicem beatumque, ut longissime adhuc virtute TVA patriae  
nostrae praestare emolumentum, atque iis adesse possis praesidio  
TVO, qui TE optimum Musarum patronum venerantur, atque  
pro TVA incolumitate pia quotidie vota nuncupant

PERILLVSTRI  
NOMINI TVO

DEVOTISSIMVS

IO. ERNEST. GOTTFR. ERLMANN,  
AVCTOR ET RESPONDENS.

O. D. B. V.





Q. D. B. V.

DE

DIVERSO PRAESCRIPTIONIS  
IVRIS CIVILIS

EFFECTV.

§. I.

*Conuenientia praescriptionis cum Iuris Naturae praeceptis.*



olent quidam aequitatis iniqui defensores, non sine magna, quam exinde capere videntur, voluptate, contra strictiora, ut aiunt, legum ciuili-um principia insurgere; imo nec ultra terminum procedere sibi videntur, si omnis saepe iniquitatis, et Iuris naturae exitium ciuiles esse leges perhibent. Iam in eorum rationes,

tiones, quibus vel ipsi se proprio veluti iugulant gladio, inquire-re operae haud erit pretium. Id saltem monendum esse cense-mus, quod in eo peccare videantur ii, qui ex eorum, quorum modo delineationem dedimus, sunt partibus, quod in deciden-dis causarum iuribus, primum ad acquitatem, seu ipsum illud, quod sibi ex ipsorum cerebro fingunt, ius naturae, respiciunt, atque hoc demum deficiente ad Iurium Ciuilium dispositionem recurrunt. Etenim quum per Iura Civilia accomodatur ius na-turae ad statum cuiuscunque reipublicae tam publicum quam priuatum; neque in eo aliquid inueniri debet, quod legibus na-turae contrarietur: ea omnino iurium est habenda ratio, vt an-te omnia ad legum ciuilium dispositionem respiciamus, et hac demum deficiente ad iuris naturae praecepta, et his denique vel dubiis vel plane tacentibus, id quod aequum est attendamus. Sane qui secus faciunt, non tenent ea, que CONSTANTINVS Im-perator l. i. C. de legibus constituit, quod *soli principi et legis-latori liceat inspicere interpositam inter aequitatem jusque inter-pretationem*. Ea igitur, quae Iure certo constant, ex aequita-te minime sunt diiudicanda, neque immature ad id, quod me-lius videtur esse, recurrendum est, quum ex QVINCTILIANI sen-tentia *dubium tantum aequitatis regula est examinandum*. Sed inuiti quasi ad hoc argumentum perducti sumus, quum contra ipsam quae thematis loco nobis erit, iuris speciem, eiusmodi saepe exhalari calumnias vidimus. Impium enim praesidium dicunt eiusmodi aetatis nostrae Labeones atque aequitati ipso-rum naturali minus conveniens dominium, quod in re, quae alterius est, cuidam tribuitur, quid? ex ipsorum legum ciuili-um constitutione contra nos pugnant, quum per easdem rem nostram sine nostro consensu ad alium transire non posse con-tendunt. Ego vero non putarem, rem esse tanti momenti, quum vel ab imperitoribus in hac arte perspicere potest, quid va-leant adductae ab eiusmodi calumniatoribus legum ciuilium ra-tiones.

tionem. Quis enim est, qui nesciat, salutis nonnunquam publicae causa non expressam alicuius praesumi voluntatem, et quam maxime rei interesse publicae, ne dominia rerum semper in incerta permaneant atque ancipiti litium decisione. Igitur, quod ius, nomine, ut ita dicere liceat, civili praescriptionem dicere solemus, iurae naturae ne dicam fundatum, saltem haud reprobatum eodem esse firmiter assero.

## §. II.

*Origo atque etymologia praescriptionis.*

Praescriptionis tanquam iuris, quod in re esse dicunt, quum apud Romanos veteres nulla fuerit existentia, et subinde tamen apud auctores castae latinitatis vox saepius occurrat: non adeo aberrare videbimur a proposito nostri ratione, si antiquum huius vocis significatum paullo curatius breuiter tamen, uti rei ratio postulat, consideremus. Atque eam quidem praescriptionis apud Romanos fuisse significationem, ut idem, quod exceptio aut praedictum denotet, id demonstratione haud indigere videtur, dummodo *l. 4. et 5. C. de praescr. trigint. ann.* evolueret velis. Generalem vero hanc fuisse appellationem, neque certas exceptionum species sub se comprehendisse illud nomen, ex QUINCTILIANO omnino licet coniecere, quod et leges civiles confirmant, quae hunc terminum non solum exceptionibus dilatoriis, et declinatoriis, sed etiam peremptoriis promiscue tribuunt, cuius rei testimonium *l. 8. 12. et 13. C. de except. et praescr.* extat. Si de ratione huius denominationis vellemus esse solliciti, ea omnino non adeo videtur esse absurda, quod dicunt, ipsis actionibus a praetore datis, praescriptas fuisse exceptiones, ut eo melius, ex quo his penderet perspicere potuisset. Sed coniectanea sunt, et praeterquam, quod non adeo egregia exinde promanabit utilitas, si de inquirendis nominum rationibus adeo sumus solliciti, id etiam pro nobis stare videtur, quod non omnium, quae a maioribus tradita sunt, reddi potest ratio *l. 20. D. de legibus*. Alios eiusdem vocis in veterum auctorum

B

scriptis

scriptis occurrentes significatus perlustrare, iam ab argumenti nostri ratione abesse arbitror, quum ex eo tantum, quem iam dedimus, promanare videtur illa significatio, quam recentiora huic voci tribuerunt tempora. Sic enim apud CICERONEM praescriptionem legis, seu denotationem auctoris qui legem tulit, et apud alios latinitatis terfae auctores alios etiam, quos afferre iam superuacaneum esse censeo, legi significatus, iis erit notissimum, qui sedula manu eosdem voluere solent.

Vid. omnino Petr. Faber Semestr. I. 21. p. 118 seq. et Barnab. Briffonius de V. S. f. h. v.

### §. III.

#### *Differentia inter vsucapionem et praescriptionem.*

Quum vsucapionis et praescriptionis natura cognatione quadam coniuncta esse videatur; propterea quod ex uno principio haec iurium species promanant atque deducuntur; eorundem tamen iurium diuersa plane sunt requisita, diuersi quoque effectus, quos vt paulo accuratius perpendamus, operae pretium erit: in determinando eorum, recteque ponendo discrimine omnino debemus esse solliciti. Sunt quidem, qui ex eo principem vsucapionis et praescriptionis differentiam deducunt, quod illa directum haec vtile tantum operetur dominium, quam sententiam satis esse comprobatae putant *l. 20. C. de pactis: vbi traditionibus et vsucapionibus dominia rerum, non nudis pactis transferri* constitutum legimus. Verum de hoc discriminis genere multa sane adhuc disputari posse videntur. Etenim, quod primo loco monendum est, non adeo liquide constat, an haec lex de dominio illo directo an de utili loquatur. Et quale dominium directum utili oppositum illi intelligant, ego quidem nondum perspicio. Sane nouam omnino fingere oportet speciem atque distinctionem domini directi et utilis, cuius ex legibus ciuilibus difficillima erit probatio. Quamuis enim *VLPIANVS l. 10. pr. D. si seruitus vindicetur:*  
adserit,

adferit, eum qui diuturno usu, et longa quasi possessione ius aquae ducendae nactus est, non necesse habere, ut doceat de iure, quo aqua constituta est, veluti ex legato, vel alio modo; sed vtilem habere actionem, ut ostendat, per annos forte tot usum se non vi, nec clam nec precario possedisse; exinde tamen utile dominium non colligitur. Deinde, si etiam tale quid concipere nobis vellemus, ex adducta lege tamen non sequitur, nullam praescriptionem operari directum dominium, quum vnius nominatio alterum non statim potest excludere. Illam quoque, quam in eo ponunt horum iurium differentiam, vbi vsucapionem aiunt producere actionem, praescriptionem vero saltem exceptionem, non posse admitti, id vel ex sequentibus patebit vberius. Quod denique dicunt, vsucapionem de corporalibus, praescriptionem vero de incorporalibus rebus dici, illud omnino non adeo est absurdum, quoniam cum regula, quae deinde sequetur, omnino conuenit hoc discrimen, sed admodum speciale est, neque generalem aliquam producere potest rationem, quemadmodum et hoc discrimen, vsucapionem scilicet nullum admittere discrimen inter causas lucratiuas et onerosas, bene tamen praescriptionem, nondum dubitatione caret, quamuis CIVILIS et alii argumento *l. ii. C. de praescript. longi temp.* hac in re vtantur. Nobis quidem illa videtur sensui legum maxime conueniens differentia, quum praescriptionem exceptionem vsucapionis esse dicimus, vt nimirum inter se differant tanquam regula, et exceptio ab eadem. Atque ideo praescriptionem toties habere locum dicimus, quoties vsucapienti vel deficit bona fides, vel titulus, vel traditio, vel res est vsucapi vetita. Et ex hoc etiam fundamento praescribi non vsucapi dicuntur res incorporales, quoniam in illis vera traditio cessat, *l. 43. §. i. D. de acquir. rerum domin.* quae itidem etiam apud Romanos obtinuisse videtur ratio in seruitutibus praescribendis, quibus terminus vsucapionis tribui haud poterat, quoniam ea possessionem requirebat *l. 25. D. de usurpat.* Errant itaque, qui legem SCRIBONIAM a) a IVSTI-

NIANO sublatam esse existimant, quum non vsucapionis, sed praescriptionis tantum effectum rebus incorporalibus tribuerit *l. ult. C. de praescrip. long. temp.* Hoc equidem negare non ausim confundi saepe in legibus haec nomina; sic enim pro vsucapione in immobilibus saepius occurrit longo tempore capio, uti *l. 48. §. 1. D. de acquir. rerum domin. l. 10. §. 1. l. 13. §. 2. l. 18. l. 21. D. de vsurp.* b) et e contraria parte vsucapio plerumque de mobilibus sumitur, prout *§. 7. Inst. de vsucap.* et *l. unie. C. de transformanda vsuc.* sicut etiam loco praescriptionis longi temporis inuenies longa possessione capionem. *l. 4. fin. D. pro emptore. l. ult. eod.* et longae possessionis praerogatiuam *l. 5. §. 3. D. de itinere actusque priuato.* Ideo vero, quod plerumque praescriptio dicitur de immobilibus, et vsucapio de mobilibus, nollem ducere consequentiam, in eo quaerendam esse horum iurium differentiam; sed potius ex analogia et tenore legum perspici statim potest, vtrum praescriptionis an vero vsucapionis effectus intelligatur.

a) De lege Scribonia vid. Reauardum libr. sing. ad. L. Scrib.

b) Confer. Schulzing. in Pauli recept. sent. de vsucapionibus.

§. IV.

*Differentia ab effectu.*

Si qui vero sunt, quibus haec differentia non admodum videtur esse realis, propterea quod effectum ab his iurium speciebus producendum non tangit; iis etiam satisfaciendum putauimus. Sunt enim quoque quae in effectu producendo se exerunt discrimina. Atque inter ea quidem omnino referri mereatur, quod vsucapio in omni casu tribuat personae vsucapienti dominium perfectum. *l. 20. C. de pactis:* ex quo consequi facili negotio possumus, per vsucapionem completam acquiri actionem in rem directam rei a quocunque possessore vindicandae. Id vero non item in omni praescriptione locum obtinere sequentes omnino docebunt paginae. Quis deinde cum etiam nescit vsucapionis effectum notatu dignum, quod non interrumpatur

patur litis contestatione *l. 17. in fine et l. 18. D. de rei vindicat. l. 9. §. 6. ad exhibendum l. 2. D. pro donato, l. 2. §. 2. D. pro emtore.* At vero his legibus per *l. penult. et ult. C. de annali exceptione* derogatum esse dici possit; sed putarem, id falso omnino allegari, quum laudatae leges de praescriptione tantum, non vero de usucapione loqui videantur. Id tamen accidere praesertim iure nostro ob mutata usucapionum et praescriptionum tempora potest, ut interdum etiam fiat horum inter se iurium collisio, scilicet, ut quam rem quis habet iure praescriptionis, eandem et iure usucapionis habere possit. Sed valde dubito, inueniri posse quempiam, qui maioris iuris favore repudiato ex iure agendi infirmiore suam deducat actionem, et eleganter sane *l. 2. C. in quibus caus. cessat long. temp. praescr.* ait: *in iis rebus, quae usucapionis iure adquiri possunt, frustra recurri ad praescriptionem*, ex quo consequitur, praescriptionem tolli potius per usucapionem, et vere non dari horum iurium inter se collisionem. Ideo vero etiam, quod posset quodammodo praescriptio nonnunquam assumere naturam usucapionis, nollem earum tollere differentiam. Praeterquam enim, quod in nominibus rerum esse debemus accurati: supersunt etiam res quaedam, de quibus usucapio dici plane non potest. Atque ex horum quidem numero sunt praedia Romanorum prouincialia, uti etiam praescribi non usucapi dicuntur praedia superficiaria *l. 39. et 26. D. de usurpat. emphyteuticaria, l. 12. §. 2. D. de publ. in rem actione*, si quis nimirum ius superficiei et emphyteuscos a non domino accepit; quod etiam in seruitutibus obtinere, iam supra demonstratum est.

## §. V.

*Definitio et diuisio praescriptionis.*

Praestructis iis, quae de significatione vocis, aliisque erant necessario praemittenda, ad definitionem rei propius accedimus. Dabimus igitur aliqualem, si non placet, definitionem, quandam tamen specificam descriptionem, ita, ut iis quibus alia for-

te aridet, nostram non tanquam vnice veram obiciamus, eiusdemque strictam in nos suscipiamus defensionem. Possit itaque illa ex nostra quidem sententia ita forte construi: quod praescriptio sit modus acquirendi ius in re, quae vsucapi secundum Iuris ciuilibus rigorem non potest. Vt vero pergamus, qua, duce dialectica, coepimus ire via, danda etiam erit diuisio praescriptionis. Varia illa quidem erit pro ratione substratae, vt aiunt, materiae. Id enim vel tironi notum est, ratione temporis habita praescriptionem esse vel X. et XX. vel XXX. et XL. annorum vel quoque centenariam; et si rerum seu obiecti rationem habueris, ea vel erit rerum secularium vel ecclesiasticarum rerum corporalium et incorporalium. Sed in immensum omnino crescerent diuisiones, si ab omnibus rebus, quae praescriptioni sunt obnoxiae singularem aliquam eiusdem speciem vellemus deducere; potius vltimo loco addimus praescriptionis diuisionem ab effectu in eam, quae operatur dominium, atque illam, quae nudam suppeditat praescribenti exceptionem. Quum enim praescriptio varias ob causas locum habet, quoties scilicet vsucipienti vel deest titulus, vel traditio, vel etiam, quae primo loco ponenda erat, bona fides: necesse est etiam, vt ea pro diuersitate causae efficientis alium producat effectum.

## §. VI.

*An conciliari possint Martinus et Bulgarus?*

Admodum celebris fuit controuersia inter MARTINVM GOSIANVM et BVLGARVM Ictos inter illos insignes, quos glossatorum nomine vocamus, quorum alter produci a praescriptione dominum firmiter statuit, alter hoc ipsum eidem plane negauit. Medium sane tenere voluit IANVS A COSTA, et ne neutri eorum detrudere aliquid videretur, et pacis potius amantem se praeberet, litem ita componere annisus est, vt diceret: assumere nonnunquam praescriptionem naturam vsucapionis, et hoc quidem casu operari illam dominium, altero vero casu,



casu, vbi nimirum cum vsucapione non concurrat praescriptio, hunc dominii effectum ab illa neququam produci. Vtriusque igitur sententiam cum veritate conciliari posse affirmat. Sed videtur omnino sibi Vir magnus contradicere, quum ipse deinde fateatur, *per l. 8. C. de praeser. trig. annor.* vtilem in rem actionem ei dari, qui exceptione praescriptionis rei alicuius dominum expulerit. Ex hoc enim, recte subductis rationibus facile conici potest, certo respectu praescriptionem etiam, quae non cum vsucapione concurrat, operari dominii effectum, si negari non potest, quod is, qui rei vindicatoriam actionem habet, sine dubio dominium in re sit adsecutus. Accedit, quod vsucapio semper tollit praescriptionem, quoties inter se collidunt, quoniam firmiter ex illa ius nascitur. Attamen alio modo, si nos etiam cum IANOA COSTA pacem vellemus pro bello quaerere, conciliari possent MARTINVS et BVLGARVS, quoniam certo respectu vtriusque adfertum cum veritate omnino congruit. Ab ea tantum IANIA COSTA sententia recedimus, quando per se nunquam a praescriptione produci dominium affirmavit, nisi eadem cum vsucapione concurrat.

## §. VII.

*Communis de praescriptione sententia refutatur.*

Est ea communis quorundam de praescriptionis effectu sententia, ut ab illa tantummodo produci exceptionem longae possessionis adferant. Scilicet in eo communem vsucapionis et praescriptionis differentiam ponunt, vt vsucapionem tantum operari rei vindicatoriam actionem dicant, praescriptionem vero nudam saltem suppeditare exceptionem. Ponunt etiam casum, si scilicet quis praescriptionis exceptione verum dominum a rei possessione expulerit: sed forte casu postea haud praeuiso eiusdem rei rursus amiserit possessionem, non habere illum actionem ad rem vindicandam, adeoque infirmum ius quoddam adpellitant praescriptionem neque per eam actionem in rem dari. Praeterquam vero, quod ipsis legibus contraria est ea sententia: ipsi etiam rationi, propterquam

pter quam illa est introducta, minus videtur esse consentanea. Nempe eam ob causam introductum ab Imperatoribus erat ius praescriptionis, ne earum etiam rerum, quae usucapioni de iure civili antiquo non erant obnoxiae, dominia manerent incerta. Sic praediorum Romanorum provincialium, quae usucapi haud poterant, quoniam directum eorum dominium non erat apud priuatos sed paenes populum teste THEOPHILO §. 40. *Inst. de rer. diuis.* vt saltem praescriptione eorum adquiri posset dominium, constituit IUSTINIANVS Imperator *pr. Inst. de usucapion. a.*) Iam igitur, quum per praescriptionem dominia rerum fieri debent certa; sequitur etiam omnino consequens, quod ea nimirum producat dominium, quam ob causam ipse Imperator adserit, per praescriptionem dominia praediorum provincialium, circa quae acquirenda non obtinebat usucapio, adquiri posse. Iam vero si illa operatur dominium, producit etiam necessario rei vindicationem. Non obstat, quod a rei denominatione moueri posset dubium quum vel praescriptionis nomen statim indicare videatur eiusdem naturam, eam scilicet, ut nudam tantummodo operetur exceptionem. Etenim, quod primo loco monendum est, ab appellatione rei ad effectum eiusdem non valet consequentia. Deinde etiam, quamuis improprie dici potest, exceptionem nonnunquam etiam adsumere naturam actionis, si ius quod mihi competit, et quod turbatus ab altero proponere poteram in modum exceptionis; bene etiam amissa possessione defendere possum in modum actionis, quum *agere etiam is videtur qui exceptione utitur*, per *l. 1. D. de except.* Quum vero in appellationibus rerum impropriis etiam vti nonnunquam solemus terminis: nomen praescriptionis etiam hoc casu, vbi dominium et actionem producit, non adeo inconuenienter adseruatum est, quoniam improprie etiam dici potest illum agere qui excipit.

a) Vid. Cuiacius Paratit, C. de longi temporis praeser.

## §. VIII.

*Quaenam praescriptio operetur dominium, ostenditur.*

Atque haec quidem candidum lectorem fatis puto posse convincere, esse necessario aliquam saltem praescriptionis speciem, cuius effectus in dominio se exerat. Varias quidem praescriptionis causas initio libelli nostri adduximus. Diximus nimirum, eam toties habere locum, quoties vel deficeret vsucapienti titulus, vel traditio, vel bona fides, vel res esset vsucapi vetita, quam vitiosam adpellitare consuevimus. Si enim ea omnia requisita adsunt: tunc sane non datur praescriptio, sed remanet vsucapio, quum ultimum vsucapionis requisitum non interruptae nimirum possessionis in praescriptione etiam adesse omnino debet. Nos ad probandam thematis nostri veritatem duabus saltem opus habemus speciebus. Vel enim praescriptio eum bona fide est coniuncta, vel ea praescribenti deest. Et alium quidem has species effectum producere nos docet *l. g. §. 1. C. de praescr. trig. vel quadrag. ann.* Iam igitur quum ex hac lege certo certius constet, esse alium praescriptionis effectum, quae cum bona fide praescribentis est coniuncta, alium subinde, ubi illa deficit: quaerendum saltem erit, quaenam species ratione temporis a lege definiti habita, eidem distinctioni sit obnoxia. Atque hic quidem recurrimus ad laudatae legis principium, ubi ei, qui exceptione praescriptionis decem vel viginti annorum priorem dominum a rei dominio expulerit, eamque deinde possidere desierit, datur indiscrete rei a quocunque possessore vindicandae actio. Id enim citata legis eiusdem §. 1. indicat, quae nimirum praedictum auxilium in praescriptione triginta vel quadraginta annorum, non indiscrete, sed cum moderata diuisione obtinere adfirmat, ex quibus verbis conici potest, priori loco eam actionem indiscrete, sine vlla distinctione intelligi, siue bona siue mala fide rem possederit. Quum vero ea decem vel viginti annorum praescriptio iure nostro esse desit, propterea quod per vsucapionis mutatum tempus iam est extin-

cta penitus: nemo sane in eadem amplius quaeret effectus diuerfitatem. Igitur in iisdem tantummodo praescriptionis speciebus, quae ab usu fori apud nos sunt conseruatae, illa tantum hodieque obtinet distinctio. Est itaque alia praescriptionis longissimi temporis species, quae dominium operatur, ea nimirum, in qua in bona fide praescribens est constitutus, alia etiam, quae exceptionem tantum possessori tribuit, ubi quidem bona fides praescribenti deest. Iam ut ordine procedamus, quale sit illud, a praescriptione cum bona fide coniuncta effectum dominium, paulo curatius inquiramus.

§. IX.

*Qualitas domini a praescriptione producti.*

Varias olim apud Romanos domini speciebus, pro ratione status huius reipublicae; hoc illi norunt, qui antiquitatum Romanarum studium haud intractatum reliquere. Sic notum iis omnino ac peruulgare erit, fuisse apud Romanos dominium Quiritarium, quod in iis rebus adesse dicebatur, quae modo aliquo acquirendi ciuili erant acquisitae, quod THEOPHILVS *Inst. §. ult. de libertin. εὐνομα* seu legitimum vel ciuile adpellat. Huic aliud oppositum erat, quod bonitarium audit, ubi res nullo ciuili acquirendi modo erant acquisitae, quod physicum seu naturale vocatur a THEOPHILO *l. c.* Quum vero harum domini specierum discrimen, imo ipsae illae species sublatae sunt a IUSTINIANO imperatore: haud erit necesse, ut sollicite inquiramus, an dominium hoc a praescriptione effectum sit illud Quiritarium ius, an vero bonitarium dominium illud adpellari debeat. Est vero et aliud nomen rerum, quae nostri iuris sunt, ubi quidem dicuntur, esse in bonis nostris, quae quidem adpellatio, quatenus id rem nostram illustrabit, qualis esse intelligatur, videamus. Scilicet est haec nonnunquam generalis adpellatio, et non solum eae res, quae sunt in dominio nostro, verum hae etiam, quarum iustam habemus possessionem, dicuntur esse in bonis nostris, per *l. 49. D. de verb. sign. et sic quidem facili*

cilis erit interpretatio legis 52. D. de acquirendo rer. domin. vbi quidem primo intuitu videtur adferere *MODESTINVS*, quod eae tantum res, quae in dominio cuiuscunque pleno sint constitutae dicantur esse in bonis nostris; sed paulo accuratius spectata verborum connexionione facili negotio perspicui potest, distinguere omnino etiam *MODESTINVM* inter eas res, quarum habemus retentionem atque possessionem, eumque affirmare de utroque casu, quod res tunc sint in bonis nostris. Nolim vero adferere *VLPIANVM* et *MODESTINVM* in allegatis legibus loqui de Iure Romanorum bonitatio iuri *Quiritium* opposito, propterea, quia vterque dicit, eas res etiam, quae in dominio nostro sunt, non exclusis iis, quae modo aliquo acquirendi civili, erant adquisitae, esse in bonis nostris, quae tamen illo respectu non essent in iure bonitatio sed in iure *Quiritium*. Igitur ita interpretandum potius puto hunc loquendi modum, vt intelligamus per res, quae sunt in bonis nostris, eas, quae sunt in nostra proprietate, vt etiam explicat *ORSELIVS* apud *Schulding. in Iurisprud. vet. Anteiustin. p. 70.* si itaque placeret vno nomine complecti diuersos praescriptionis effectus: res praescriptione adquisitae dici quodammodo possent esse in bonis nostris, quarundam enim habemus solummodo iustam possessionem atque exceptionem, quarundam etiam dominium, seu amissis iis, ad recuperandas actionem. Sunt autem, qui dominium vtile hoc adpellitare solent, et quidem id circo forte, si vera fateri vellent, id ab iis adferi credo, quoniam certe putant, non dari posse iuris speciem cum effectu dominii coniunctam, cuius non Romani dici possent inuectores, et quae saltem non ab iis ad nos peruenerit. Aliam sane, et talem quidem, quae legum rationi sit conueniens, rationem eos adducere posse dubito, quum distinctio dominii directi et vtilis hoc respectu nusquam sane in iure reperiatur. Ego quidem simplicitati verborum inhaerendum esse puto. Dicitur enim in laudata lege 8. C. de praeser. trig. ann. habere praescribentem bonae fidei rei amissa

possessione eiusdem vindicationem; ex quo consequitur, tale a praescriptione cum bona fide coniuncta produci dominium, ex quali actio rei vindicatoria oritur. Adde quod in rem actione nemo agere potest, nisi dominium in eadem re fuerit adeptus, quum in rem actio ei competit, qui dominium aut iure Gentium aut iure Ciuili acquisiuit. *l. 23. pr. D. de rei vindic.*

## §. X.

*Bonae fidei indoles.*

Bona fides, cuius tanta in iure est auctoritas, est ignorantia facti, qua scilicet ille, qui rem vel emit, vel alio ad transfereandum dominium habili titulo est accepturus credit, cum qui vendit, ius vendendi habere, *ex l. 109. D. de V. S.* Atque hoc quidem sensu apud alios etiam latinitatis scriptores istam occurrere phrasin notum est. Sic enim apud PLAVTVM in *Mostellaria Act. 3. sc. I.* haec leguntur:

- - - *de vicino hoc proximo*

*Tuus emit aedes filius. TE. Bona fide?*

vti etiam apud SENECAM et alios quoque saepius occurrit. Non autem commode subscribere possumus iis, qui non omni scientia rei alienae constitui emtorem in mala fide contendunt, hancque sententiam fundatam esse putant in *l. 3. §. 10. D. vti possidetis*, vbi VLPPIANVS ait: *illum non vi possidere, qui ab eo acceperat fundum, quem vi possidere non ignorabat.* Videamus igitur an haec lex pro eadem pugnet sententia. VLPPIANVS quidem ibidem putat, ei dandum esse retinendae possessionis iudicium, qui non ipse vi deiecit alium, sed iustam possessionem nactus est, sciuit vero auctorem suum in possessionem per vim venisse, quod PAVLVVS etiam adfirmat *l. 7. ff. de vi et vi armata.* Quod vero primo loco monendum est, diuersissima sane sunt, possessio sine vi, et bona fides. Potest enim hoc non obstante aliquis in mala fide esse, licet nec vi, nec clam, nec precario possideat. Deinde quoque allegata VLPPIANI verba sunt maxime specialia, et secundum rationem materiae ibidem tractatae interpretanda. Ex aliis enim legibus satis aperte probari potest,

potest, illum etiam qui a vi possidente, fundum acceperat, ratione aliorum iurium omnino vi possidere. Sic enim ipse VLPIANVS *l. 1. §. 30. D. de vi et vi armata* ait: *qui a me vi possidet*, et hic quidem nihil aliud innuit, quam quod ille etiam, qui a vi possidente accepit fundum, regulariter ipse adhuc vi possidere intelligatur. Hoc etiam adfirmavit PAVLVS *l. 4. §. 23. D. de usurpat.* illum scilicet, qui emit fundum ab eo, qui me vi deiecerat, illum inquam ipsum vi possidere. Est vero et aliud ac forte, quibus placet, grauius argumentum, ex quo certo adparet certius, VLPIANVM hoc loco solummodo respexisse ad interdictum *vti possidetis*. Ex inscriptione legum enim probari potest, VLPIANVM libro sexagesimo nono ad Edictum ex quo haec eius verba desumpta sunt, *vti etiam in antecedentibus et consequentibus libris tantum de interdicto uti possidetis egisse: similiter enim l. 1. D. h. t. ex eodem est desumpta libro, et l. 4. eid. tit.* ita incipit: *in summa ita puto dicendum etc.* ex quibus verbis adparet, illum iam antea egisse de hoc interdicto et nunc summariam quandam adiecessisse regulam. Si igitur verum est, VLPIANVM in hoc libro egisse tantum de interdicto *vti possidetis*: ea omnino, ex quibus non potest ratio generalis deduci, ultra materiam ab ICTO ibidem tractatam neuiquam sunt extendenda. Distinctas igitur limites bonae fidei posterunt leges nec credendum esse puto, fingi posse casum, vbi quis non ignorat, rem esse alienam et tamen in bona fide constitutus esse dici possit. Quae de dubitante disserunt, illa sane nondum accurate sunt enucleata. Illam quidem, quae ante contractum perfectum animo inest, dubitationem, nocere, expediti iuris est: quae vero de ea, quae post contractus perfectionem nasci coepit, dubitatione monent, de iis certe nulla satis accurata dari potest dispositio. Et quum nos iam in iis tantum, quae iuris ciuilibus sunt, versamur: non necesse erit, vt pluribus in illam subuenientem dubitationem inquiramus: quum secundum iuris ciuilibus dispositionem ab initio tantum bona fides requiritur. Haec itaque ignorantia facti,

quae bonae fidei nomine venit, non nocet praescribenti, sed prodest potius et perfectum operatur ius: at alia plane est ratio ignorantiae iuris, si quidem haec intuitu adquirere volentis se exerit. Quum enim nemini in damnis amittendae rei suae iuris error nocet, neque prodest adquirere volentibus, per *l. 7. et 8. D. de iuris et facti ign.* sequitur omnino, illum, qui id quod possidet, non putat sibi licere per leges vsucapere, etiam si errat, non posse complere et perfectam reddere vsucapionem, quoniam non videtur bona fide possidere, *l. 31. et l. 32. §. 1. D. de vsurpat.* Quamvis vero ex adlegatis legibus satis aperte probari possit in vsucapione non nocere iuris ignorantiam, illi qui de damno vitando certat, et e contraria parte illi ob stare, qui lucrum est captaturus: quo minus tamen idem et in praescriptione longissimi temporis obtinere credam impedit *l. 3. C. de praescrip. trig. annor.* quae quidem dilucide exposuit, in praescriptione hac nulla legis ignorantia se tueri posse quempiam.

## §. XI.

*Res vi possessae nulli obnoxiae sunt praescriptioni.*

*Vi factum esse* aliquid dicit QUINTVS MUCIVS, si quis contra quam prohiberetur fecit, *l. 1. §. 5. D. quod vi aut clam et ex PAULI* sententia vi deiectus est, qui violentiae comperta opinione possessione cessit. Quatenus vero accuratae sint definitiones ICTORUM nostrum iam non erit inquirere. Id saltem notandum est, vim semper vitari possessionem, quae tamen et in vsucapione et in praescriptione haud vitiosa requiritur. Id iam apud Romanos olim sancitum fuisse legibus PLAVTIA ET IVLIA, a quarum saepius meminit CICERO, constat, vi res vi possessae longo quantumvis tempore vsucapi haud possent. Et has quidem leges a IVSTINIANO imperatore adseruatas fuisse, docet facta earum mentio et applicatio, quae occurrit *l. 33. §. 2. D. de vsurpat. §. 2. Inst. de vsucapion.* vnde etiam interdictum de vi armata fuisse perpetuum constat ex CICERONIS *Epist. l. X. ep. 31.* De ipso vero deiciente id intelligendum esse, non vero  
de



de eo, qui relicta a deiiciente possessione in vacuum sedem intravit, constat ex *l. 4. §. 22. D. de usurpat.* neque etiam de eo, qui cum dominus metu profugerit, intrauit bona fide in vacuum possessionem *l. 33. §. 2. D. de usurp.* sed puto etiam ab eo, qui fundum a deiiciente bona fide emit, longissimo tempore capi posse, quum par pro eo militare videtur ratio. Ipsum vero, qui vi deiecit priorem dominum et possessorem, nulla praescriptione tueri se posse docet *l. 8. C. §. 2. de praescr. trig. ann.* Adde etiam, quod ipsi rationi legum hoc contradicere videtur. Quum enim intuitu prioris domini praescriptio poena esse debeat negligentiae eius: Sane eo casu, vbi ea ipsi imputari nequit, illam omnino poenam cessare oportet. Iam vero tantum abest, vt illi qui vi deiectus est, negligentia aliqua rerum suarum imputari possit, vt potius omni modo eiusdem conditio sit reddenda melior, et e contraria parte ei minus fauendum, qui propria vi temerarium aliquod ius in re quadam sibi vindicare voluerit. Idem etiam de rebus furtiuis ab ipso fure praescribendis tenendum esse quis est, qui dubitet? *l. 8. §. 2. C. de praescr. trig. vel quadrag. ann.* Quum enim furtum est contrectatio rei alienae, et contrectatio cum vi semper est coniuncta, eadem omnino iuris dispositio ob rationis aequalitatem adesse debet. Caeterum, quin tertius possessor res furtiuas longissima possessione, praescribere possit, non est dubium.

- a) De lege Plautia vid. Steph. Vin. Pighius annal. Tom. III. p. 228.  
De Julia Lege vid. Hottomannus de legibus.

### §. XII.

*Emphyteuta et superficarius an similiter per praescriptionem in fundo emphyteuticario et superficario adquirat dominium?*

Emphyteuseos originem a Romanis esse repetendam, et vectigalium a) nomine apud eos eiusmodi tributaria praedia, quae iam emphyteuticaria adpellamus insignitos fuisse constat. Eiusmodi agri vectigales olim dicebantur, qui hostibus erant erepti,

erepti, et vel eosdem ipsa respublica administrabat, et reditus exinde promanantes impensis adseruabantur publicis, quo sensu CICERO oratione I. de lege Agraria vectigalia vocat: *subsidium annonae et horreum belli*; vel legitimorum stipendiorum nomine assignabantur militibus missione honesta dimissis per leges Agrarias Tib. et C. Grachi, vel etiam ipsis in potestatem redactis gentibus barbaris imposita annua praestatione relinquebantur. Sequenti autem tempore concedebatur usus agrorum quorundam municipibus, ad eorum opera publica sustinenda, et hi quoque certam pro ipsorum usu soluebant pensionem, quae vectigalis nomine veniebat. Quosdam agros eiusmodi vectigales ad certum tempus, quosdam etiam ad perpetuum datos fuisse certis municipibus ex antiquitatis historia constat. Non vero ipsi municipes dominium in iisdem praediis vectigalibus consequerantur, sed usum solum fructumque eorum, directum vero eorum dominium erat paenes populum, de quibus loquitur THEOPHILVS §. 40. *Inst. de rer. diuis.* Ὅτι τὰ σιτηνὰ καὶ τριβυτάρια ἔχοντες πόλεις, κατὰ συνχώρησιν ἢ βασιλείας ἐν ἡσάν δεσπόται. Ἡ γὰρ δεσποσία αὐτῶν ἢ ἢ παρὰ τῷ δήμῳ, ἢ παρὰ τῷ βασιλεῖ, ἀλλ' εἶχον τὴν ἐπ' αὐτοῖς χεῖρσιν. καὶ ἐπιμαρτίαν, καὶ πληριστὴν καλοχὴν.

Attamen, hic vsus fructus, haec plenissima possessio vti THEOPHILVS vocat, speciem aliquam eius dominii praebuisse videtur, quod vtile adpellare solemus. Ait enim CICERO oratione III. de lege Agraria: *istos agros, de vectigalibus autem loquitur, partem aliquam iuris, aliquam similitudinem propriae possessionis aliquam spem attingere.* Sed longe mutata est eiusmodi agrorum vectigalium facies, et sub Imperatoribus, atque ex SCHILTERI sententia sub CONSTANTINÒ MAGNO emphyteuticorum nomine venire coeperunt, et nomine subinde mutato res ipsa tamen firmiter haesit. Deinde Imperator ZENO iure emphyteuteos a locatione aliisque contractibus seiuncto specialis contractus nomine illud adseruauit. Quum igitur de hoc iure fundorum emphyteuticorum etiam exoritur quaestio, an

an praescriptioni obnoxii sint: videndum erit, quatenus ager emphyteuticarius laudato modo adquiri possit. Scilicet *l. 1. §. 1. D. si ager vectig.* emphyteutas quidem hodieque non vult esse dominos, iisdem tamen vtilem in rem actionem concedit. At enim, quamvis PAVLVS in dicta lege emphyteutae omne dominium denegare videatur: id tamen de directo tantum, quod vocant, dominio, intelligendum esse analogia legum nobis persuadet. Neque enim dari posse credo casum, ubi actio in rem conceditur, neque vlla tamen adest species dominii. Quum igitur rei vindicatio vtilis datur emphyteutae, et Publiciana in rem actio eidem etiam competit per *l. 12. §. 2. D. de publiciana*: dubium sane non est, quin longissimo tempore praescribi possit ius emphyteumatos, quod bona fide a non domino accepit emphyteuta. *Conf. l. 15. §. 27. D. de damno infecto.* Quid in superficiario iure obtineat, id sane facili ratione conici poterit. Quum enim pariter superficiarius acquirit dominium in superficie, *l. 1. §. 1. D. de superficiebus*: ille omnino, qui a non domino ius superficiei bona fide accepit, longissima possessione dominium in superficie poterit adquirere. Obstare videtur *l. 26. D. de usurpat.* ubi VLPIANVS superficiem nunquam sine solo longo tempore capi posse adfirmat; haud ea vero prohibet longissimi temporis captionem, haec enim quum quasi succedit praescriptioni longi temporis, locum hic etiam omnino sibi vindicare potest.

a) Vid. Petr. Burmannus libr. singular. de vectigalibus pop. Rom.

b) Exercitat. XVI. 66.

c) Consentit Ianus a Costa ad Instit. de vsucap. et longi temp. praescr. Et Cuiacius paratit. ad tit. C. de praescription. longi temporis.

### §. XIII.

An etiam per centenariam praescriptionem dominium adquiratur?

An vero etiam de centenaria praescriptione illa dominii adquisitio dici possit, res est, de qua adhuc dubium aliquod exoriri possit. Scilicet hoc exorbitans quasi praescriptionis ius primo ecclesiae Orientali, sollicitatione, ut constat ecclesiae Eme-  
sinae erat concessum per *l. 23. C. de sacrosanctis ecclesiis*, postea-

D

que

que hoc priuilegium etiam ecclesiae Occidentali vel Romanae fuit datum per *Nouellam IX.* Priori legi Codicis tantum derogatum esse per *Nouellam CXI.* et *CXXXI.* iam demonstrauit Ictus Cel. BACHIVS, a) qui tam ex inscriptione legum, quoniam ea scilicet nos docet *Nouellam CXI.* et *CXXXI.* utramque tantummodo ad praefectos praetorio Orientis non vero Occidentis esse directam, quam aliis quoque a Basilicorum Synopsi, et legum ratione petitis argumentis firmissimis rem illustrauit. De iure igitur civili adhuc stabilitam esse illam centenariam in rebus Romanae ecclesiae praescriptionem, neque huic iuri per illud aliquid esse derogatum: id pro re iam demonstrata licebit nobis accipere. Et quidquid etiam sit, quod vel a paritate rationis vel ex alio fundamento obiici huic argumento possit, id vel non tanti momenti esse puto, ut uberiore refutatione indigeat, quum nec thematis nostri ratio fusus in hunc campum excurrere patitur; vel nostra re etiam salua admitti potest, quoniam iuris est expediti, illam centum annorum praescriptionem in rebus ecclesiae Romanae hodiernum obseruari. Nihil vero obstat, quo minus haec etiam praescriptionis species, si quidem cum bona adquirentis fide est coniuncta, dominium producat. Quum enim tempus tantummodo longius requiratur ad complendam illam praescriptionem, nec subinde in eius essentia aliquid mutatum esse reperitur: non est, quod effectum eidem alium esse praedicemus, et potius a paritate rationis, quam quidem in aliis praescriptionis speciebus leges seruant, ad hanc quoque licebit concludere. b)

a) In dissertat. inaug. de praescriptione C. annor. in actionibus ecclesiae Romanae de Iure Civili.

b) Confer. l. ult. C. de fundis patrimonial.

§. XIV.

*Alter praescriptionis effectus.*

Est vero et alia praescriptionis ab effectu, quem producit, desumpta species, quae vel alteram dissertatiunculae nostrae partem absoluit, quamque vel ipsum iuris huius nomen indicare videtur, ubi scilicet praescribenti solummodo tamdiu datur longissimae

finae possessionis exceptio, quam diu res de qua agitur in eius  
 est bonis; ipsius vero rei amissa possessione ad recuperandam  
 eandem actio eidem non conceditur. Non sane inconueniens vide-  
 tur esse legum interpretationi, si hoc casu nudam tantummodo ad-  
 quiri praescribenti possessionem adfirmaremus, quum ante com-  
 pletum praescriptionis tempus ne iusti quidem possessoris nomine  
 insigniri poterat. Atque sic quidem recte subductis rationibus fa-  
 cili negotio perspici potest, quanto infirmius hoc in casu detur ad-  
 quirere volenti ius, illo, quod iam superioribus paginis a nobis vbe-  
 rius fuit pertractatum. Scilicet in praecedenti casu adplicari elegan-  
 ter poterat *VLPIANI* regula, quod nimirum eidem cui competit  
 actio multo magis etiam competat exceptio; Etenim maius, vt  
 aiunt, semper sub se comprehendit minus *l. 21. et 110. D. de regulis  
 iuris* et *Ulpianus* rationem hic videtur a maiori ducere ad id quod  
 minus vocat. Atque ea sane, quae huic argumento obiici forte  
 possint, ita sunt comparata, vt neque rerum intelligentibus faciant  
 latis, neque iis, qui legum verba non prouti iacent, vt ita dicere li-  
 ceat, sed secundum rationem tam aliarum legum, quam materiae  
 substratae captant, ad sensum facile eliciant. Contraria quidem vi-  
 detur esse primo intuitu *PAVLI* sententia, qui omnino negat actio-  
 nis verbo contineri etiam exceptionem *l. 8. §. 1. D. de V. S.* Et diu  
 multumque sane quamuis frustra quaesiuimus praemissam aliquam  
 speciem, ad quam respexerit *PAVLVS* istis verbis, neque vlla lex  
 ex eodem *PAVLI* ad edictum libro desumpta ad istum casum, in  
 quo actionis verbo non contineri ait exceptionem adplicari com-  
 mode potest; attamen, quis est quaeso? qui re paulo curatius con-  
 siderata, non intelligat statim, strictissimum haec *PAVLI* verba  
 continere sensum, quod scilicet nemo vno actu esse possit actor  
 et reus, et in iudiciis, quae vocant diuisoriis, pariter atque in inter-  
 dicto vti possidetis illud omnino dicatur valde improprio sensu,  
 neque respicere illum ad adsertum *VLPIANI*, vt neget, eidem  
 cui actio datur, competere pariter et exceptionem. Neque etiam  
 illud obstat, quod actio dicitur ius persequendi ius suum, *l. 51. D.*

*de oblig.* non item vero etiam excipiendi; haud enim sine omni ratione dici potest per exceptionem aliquem etiam persequi ius suum. Aut enim reus negat actori competere ius, quod se habere adfirmat in re de qua agitur, aut admittit illud quidem, sed opponit aliquam insuper exceptionem, cuius casu traditionem rei seu exercitium iuris actori denegare se posse contendit. Sed utroque casu reum ius suum persequi quis est qui neget? At vero in hac praescriptionis specie id adplicari atque inuerti potest neuitquam, quod eadem etiam cui conceditur a lege exceptio, detur et competat pariter actio. Non enim, ut in probandi ratione persistamus, dici potest, minus sub se comprehendere, quod maius est. Illud sane, quod *ULPIANVS* adfirmat *l. 1. D. de exception.* illum scilicet etiam agere videri, qui exceptione utitur, contra nos iam non facit: valde enim improprium huius legis esse sensum vel ipsa eius verba indicant, quum *ULPIANVS* non ait illum agere, sed illum saltem agere videri, qui exceptione utitur, siue, uti iam explicauimus, illum pariter atque eum qui exceptione utitur, ius suum persequi. Ut rem ex antiquitate exemplo illustrare liceat, eodem etiam modo Romae olim praetor in pacto nudo, quod iure ipsorum erat inualidum, nullamque producebat actionem, saltem exceptionem concedebat, uti patet ex *l. 7. §. 7. D. de pactis.*

## §. XV.

*Haec praescriptionis species locum obtinet.*

1. *Ob malam praescribentis fidem.*

Atque hanc quidem praescriptionis speciem toties obtinere locum ait *l. 8. C. de praescript. trig. vel quadr. ann.* quoties quis mala fide rei possessionem est adeptus. Ex quo vero cognosci possit vitium eiusmodi, quod malae fidei nomine venit, id vel ex oppositione contrariae partis colligi facili negotio poterit, quum id vel torpenti ingenio patet, illum omnino in mala fide constitutum dici, qui iisdem, quae bonam fidem faciunt, requisitis, rem non est adeptus. Scilicet, quum non solum in poenam eius, qui rerum suarum tam negligens est administrator, tamque parum prouidam ea-

rum

rum gerit curam, vt praescriptione ad alium transferri earum dominium patiatur, sed etiam potissimum in fauorem eius, qui rem aliquam bona fide per longum tempus possedit, introductum esse videtur ius praescriptionis: eo sane casu, vbi possidentem in mala fide constitutum esse, probari potest, respici ad illum fauorem nequit, ideoque infirmius saltem ius aliquod eidem tribuitur in poenam tantum negligentiae prioris domini. Tantum enim abest, vt malae fidei possessori aliquis fauor a legibus tribuatur, vt potius ne Publiciana quidem actione ille experiri possit, per *l. 7. §. 2. D. de Publiciana*, nisi illud fauorem quendam dixeris, quod ei saltem interdicto licet vt aduersus eum, qui rei possessionem vel vi, vel clam, vel precario fuit adeptus. *l. 8. §. 2. C. de praescr. triginta ann.* Neque vero ex hac ratione quis accusare poterit legum iniquitatem, quod nimirum liceret malae fidei possessori interdicere, neque tamen Publiciana actione vti. Et videtur sane primo ad aspectu eadem in vtroque casu adesse ratio: sed diuersissimam tamen eandem esse vnusquisque perspiciet, qui actionum alia atque alia fundamenta et origines paulo curatius penetrauerit: quum aliae actiones ex dominio, aliae etiam ex nuda possessione deriuantur; alium vero exinde pro diuersitate causae illius efficien- tis promanare effectum, neminem puto fore, qui de ea re dubium moueat. Iam vero quae Publiciana vocatur in rem actio, non ex nuda possessione, verum ex proprietate omnino prouenit, *l. 7. §. 6. de Publiciana*, quum e contrario interdictorum fundamentum non nisi ex nuda possessione deduci potest.

## §. XVI.

*II. In praescriptione actionum personalium.*

Iam de actionum adhuc etiam praescriptione quaedam monere, quae ad thematis nostri rationem pertinent, operae pretium fore censeo. Etenim quum iis quoque actionibus, quae Iure Romano perpetuarum nomine veniebant, nulloque expirabant tempore, sua quoque principum constitutionibus fuit

meta posita, *pr. Inst. de perpetuis et tempor. action.* diuersas earum limites, et ademptum subinde effectum breuiter considerare iuuabit. De iis quidem quae ex Iure in re descendunt actionibus haud opus erit ut sollicitè inquiramus, quo tempore esse desinant; ipso enim iure quod quis in re quadam habuit, extincto, actionem quoque, qua petendum illud ius erat, extinctam esse certo certius apparet. Saltem de iis igitur actionibus, quas personalium nomine insignitas esse nouimus, nobis quaedam, attamen breuiter erunt monenda. Atque harum quidem actionum personalium praescriptarum effectus pariter in exceptione tantum se exerit, quum e priori parte ille in cuius fauorem realis actio effectum suum amittit, non solum habet exceptionem, qua agentem de iure suo repellit, sed plenum etiam ius in re, de qua agitur, sibi acquirit, atque in prioris domini vices intrare quasi videtur, si quidem istis, quae supra recensuimus requisitis, rem fuit adeptus. Natura igitur actionum personalium, ad hanc praescriptionis speciem, quae nudam exceptionem operatur, eas reducere nos iubet; et quum THEODOSIVS imperator *l. 3. C. de praescript. trigint. vel quadr. ann.* satis definitam iisdem posuit metam, triginta scilicet annorum spatio eas contineri constituens: nullum iam adhuc superesse puto, quod de ea re moueri possit dubium; hoc tantum si obseruabis, ad bonam fidem in earundem praescriptione non respici, quoniam ad acquirendam per longum tempus exceptionem ea non requiritur. Id quoque obseruatione haud videtur indignum esse, quod computatione temporis naturali ad complendum praescribendae actionis tempus totus nouissimus dies exigatur *l. 6. D. de obl. et action.* Equidem scio RÜCKERVM a) contra VIGLIVM ZVICHEVM b) allegatam legem non de praescriptione actionum, sed de actionibus temporalibus loqui contendere, neque in eo illi ausim contradicere, quod PAVLVS minime de praescriptione actionum ex contractu locutus fuerit, propterea quod illae tunc temporis adhuc in perpetuum competeabant, neque earum erat praescriptio:



scriptio: sed eandem tamen legem hodiernum ad praescriptionem actionum applicari posse id sane firmiter asserendum puto. Iam enim hodie omnes actiones temporales esse, certissimum est, siue, quod idem dictum est, omnibus actionibus certo ac definito a legibus tempore praescribitur: ergo adlegata lex omnino ad praescriptionem actionum applicari atque extendi potest, quamuis alia temporalium actionum Romanarum fuerit ratio, aliud nomen, quod etiam ipse RVCKERVS sequentibus confessus esse videtur.

- a) In dissertatione de Ciuili et naturali temporis computatione edita cum observat. et interpretationibus Lugd. Batav.  
 b) ad §. 7. Instit. quibus non est permillum facere testamentum.

## §. XVII.

*Excusatio auctoris pro laude veniam quaerentis.*

Atque haec quidem sunt, quae de diuerso praescriptionis Iuris ciuilis effectu conferre in hoc quaecunque scriptum auctori visum est. Caeterum si qui sunt, fore autem quam plures non dubito, quibus vel argumenti electio parum operae pretium meruisse, vel scribendi ordo non satis esse accuratus vel denique admodum leue scripturae genus esse videtur: eorum censurae auctor etiam subscribere non erubescit, quippe qui neque cupiditate aliqua scribendi, neque ingenii procacitate vel iuuenili leuitate ductus sed quoniam reddendum erat aliquod specimen, scripsit intra spem veniae cautus, atque materiam sibi suisque viribus aequam sumpsit, confisus lectorum humanitati qui cum ipso illius *Horatiani* meminisse non intermittent.

*Rectius Iliacum carmen deducis in actus*

*Quam si proferres ignota indictaque primus.*



P R A E-

PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE

DISSERTATIONIS

A V C T O R I

S. D. P.

P R A E S E S.

**D**etulisti ad me dissertationem TVAM et vt meam in ea publice defendenda TIBI non denegarem operam, desiderasti. Eo lubentius TVAE voluntati satisfacio, quo maiori cum voluptate me testem laudis TVAE intelligo. Quaecumque in hac dissertatione scripta reperiuntur, TIBI iure vindicas, pauca addidi, alieno labore enim nec indigebas, nec vti volebas. Insunt quaedam opiniones, circa quas me alias dissentientem, in praesenti vero consentientem habebis. Tempus in Academia bene consumis-  
sisse, et studium iuris omni solertia tractasse, satis comprobasti. Ingenii vires, quas natura suppeditavit, optime impendisti, et effati CELSI, qui ICro, vt vim et potestatem legum sciat, commendavit, non fuisti immemor. Gratulor ex animo Parenti Optimo, gratulor et TIBI de specimine erudito, nec dubito, TE masculae huius defensionem publice suscepturum esse. Fav-  
veat fortuna coeptis; TV modo, qua hucusque via honoris iuisti, perge, et persuasum TIBI habe, non desutura esse praemia laborum, quae ex animo precor. Caeterum me TIBI commendatum iubeo, et vt credas me, TE volente, amicitiae officiis satisfacturum esse, rogo cupioque.

Dabam Lipsiae d. XIX. Maii.

MDCCLIII.








Leipzig, Diss., 1753

X 2373094





7

DISSERTATIO IURIDICA  
NONNULLA  
DE  
DIVERSO PRAESCRPTIONIS  
IURIS CIVILIS EFFECTV  
S I S T E N S

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE

AD DIEM VII IVN. MDCCCLIII.

PRAESIDE  
D. FRIDERICO GOTTLIEB  
ZOLLER,

PROF. PVBL. IUR. SAXON.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMITTIT

AVCTOR  
IOANNES ERNST GOTTFRID ERLMANN,  
MARTISBURGENSIS.

L I P S I A E,  
LITTERIS FRID. GOTTH. IACOBAERI.

